Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8343
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

Imperiale

Heinricus dei gratia Romanorum imperator et semper augustus, civibus in comitatu
Kuchlensi in utraque regione fluminis Salzache manentibus graciam suam
et omne bonum. Nulli fidelium incognitum esse debeat, nec alicui prudencium
dubium esse credimus, Quod kadmie cuiuslibet metalli et Saline et quarumque
proventus subterraneas ad usus hominum provenire possunt, iuris sunt imperii. Cog-
noscimus etiam quod quicquid horum intra terminos forestarum Berchtesgadensis cenobii
inventum fuit, repertum est, aut inveniri vel reperiri potest, a serenissimo ac gloriosissimo
patre meo Friderico Romanorum imperatore invictissimo et semper augusto, cenobio
prefato et fratribus inibi deo servientibus, iure proprio est collatum et imperiali
privilegio omni tempore tenendum et utendum imperpetuum est confirmatum. Eundem
omnibus tam maioribus quam minoribus in Kuchlensi Comitatu in utraque regione
fluminis Salzache et in territorio eiusdem comitatus manentibus sub districta inter-
minacione precipimus, ne quis mortalium cuiuscumque condicionis, fratres eiusdem prefati
cenobii super salina in loco Toffal sita, quam ipsi sub defensione et concessione
predicti genitoris mei semper augusti quiete possiderunt et possident, audeat infe- Confirmatio Saline in Toffal, que hodie cessat.
stare seu aliquibus fraudulentis aut violentis machinationibus presumat inquietare,
presertim sciente. Quod si quis nefaria vel ausu temerario ad iniuriam fratrum quicquam
attemptare presumpserit, demum iudicium et iram dei omnipotentis imperialis nostre
indignationis vindictam cum digna animadversione in eadem experienda noverit.
Dignus autem est spectabilium personarum qui se iuris aliquid in eadem Salina ex-
istimat habere, nullo temeritatis ausu sepedictos fratres super hoc presumat
inquietare, donec se iuri suo confidit coram imperiali vel regali audiencia
causam suam exponens quod iustum est, recte exequatur, ne quis iure
suo fraudulentis machinationibus aut violentis nullatenus fraudetur. Datum …